IN·NOMINE·SANCTISSIMÆ·TRINITATIS

Patris, Et Filij, Et Spiritus Sancti, Et ad laudem Et gloriam Beatissimæ Dei Genitricis perpiuæ Virginis Mariæ dnæ nræ, piamq; venerationem diui Pris nri Dominici sacri Rosarij autoris atque institutoris.

NOS F. NICOLAVS RODVLFIVS sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum Magister GENERALIS. Omnibus pntes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Quemadmodum Xpianæ perfectionis summam in vnitate fideliũ ad Xpum veluti membrorũ ad caput omnium perfectionum fontem, nec non in vnione Xpianorum ad inuicem consistere credimus, ita ad illam adipiscendam optimũ esse orationis medium ratione, Et experientia piè edocemur. Modus verò Deum orandi, secundũ quem Sma Virgo Maria Mater Dei per centũquinquaginta Salutationes Angelicas Et quindecim Dominicas orationes instar Dauidici Psalterij colitur qui Rosarium nuncupatur à Smo Pre nro diuo Dominico primũ inuentus Et institutus, à sumis Rom: Pontificib: successiuè ad deuotam Patrũ nri Ordis intercessionem approbatus, priuilegijs quoq; maximis, ac innumeris indulgentijs, alijsq; Aplicis gratijs decoratus, inter cæteros in Ecclia inuentos ad hoc obtinendum (ni fallimur) magnoperè confert. Nam præter hoc, quod Beatsma Dei Genitrix, cuius intercessio nobis perfectionem hanc impetrare potest, ibi crebrius inuocatur, ipse quoq; per se modus orandi (si rectè fiat) quam facillimè compendio illam consequitur, dum Iesu Xpi Saluatoris nri vitam omnem per quindecim mysteria digestam meditando percurrere facit. Quæ Vos in Xpo dilectissimæ, Et deuotissimæ Xpi Ancillæ RRdæ Moniales Monasterij B. MARIÆ Vallis Viridis De MAZORBO Torcellanæ Dioecesis piè considerantes, Et ad habendũ, augendum, Et conseruandũ prædictũ modũ orandi Societatem Psalterij seu Rosarij sub inuocatione B. Mariæ in præfata Ecclia dicti Monasterij instituistis, Et ordinastis, eiusq; Altare Et Capellam fundastis de consensu Ordinarij loci. Cupientes autem institutionem, ordinationem, Et fundationem huiusmodi à nobis recipi Et approbari, nrisq; pntibus litteris confirmari instantissimè petiuistis per interpositã personã F. Maurelij de Ferraria nri Ordis Prædicatorũ, vt dictã vram Confratstem recipientes, eam admittere, approbare, Et confirmare dignaremur cũ gratijs Et fauorib: opportunis. Nos igitur vris votis, Et pijs petitionib: inclinati dtam Confratstem sicut præfertur institutam Aucte Aplica nobis in hac parte concessa, tenore pntium recipimus, approbamus, Et confirmamus, perpetuæq; firmitatis robur adijcimus, Et quatenus opus sit de nouo erigimus per præsentes. Dummodo dictũ Altare Et Capella sint intra Clausurã præfati Monasterij vbi videlicet sacras horas Canonicas dictæ Moniales quotidiè persoluunt, cũ hæc nra concessio pro supradictis Monialib: ac cæteris intra Clausurã existentib: Et inseruientib: tantumodo robur habere debeat. Eamq; Societatẽ, atq; omnes supradtas Moniales in eadem successiuè recipiendas, Et receptas, cum gratijs, Et indulgentijs sibi à Rom: Pontificib: concessis, prout aliæ consimiles Confratstes in Ecclijs nri Ordis institutæ potiuntur, recipimus, Et admittimus in vita pariter Et in morte. Admonentes eiusdẽ Smi Rosarij festum prima Dominica Mensis Octobris singulis annis in eadem Capella celebrari debere iuxtà fel: rec: Gregorij Papæ XIIJ. decretũ Et institutũ in gratiarũ actionẽ præteritæ, ac memorandæ Victoriæ contra Turchas eiusdem Societtis Confratrũ fusis precib: eadem die, vt piè creditur, ac auxilio, Et interuentu Smæ Matris dnæ nræ impetratæ atq; obtentæ. Cuius Societatis Et Capellæ Capellanũ deputamus modernũ Et pro tempore existentem præfatarũ Monialiũ Confessariũ, qui nomina Et cognomina omniũ dictarum Monialium eamdem Societatem ingredi, Et deuotè recipi petentiũ in libro ad hoc specialiter deputato possit scribere, recipere, Et admittere, Psalteria, seu Coronas benedicere, sacri Rosarij mysteria, vt decet, reuerenter exponere, ac omnia Et singula facere, quæ Fres nri in Ecclijs nris ad hoc deputati facere possunt Et ritè consueuerunt, in diem Xpi eius conscientiam onerantes, ne pro huiusmodi admissione, ingressu, scriptura, Et benedictione aliquid omnino temporalis lucri quomodolibet exigat, sed gratis hæc omnia præstet, quemadmodũ ipsius piæ Societatis capitula habent, Et sanctiones, vti etiam nos in Dei cultũ, eiusq; Smæ Matris gloriã, Et Xpifidelium Salutem Et profectũ gratis accepimus, Et gratis damus Et concedimus. Volumus autem, Et omnino obseruari iubemus, quòd in venerabili Icona dictæ Capellæ quindecim nræ redemptionis sacra mysteria pingantur, nec non pro huiusce concessionis consentanea recognitione in eadem Icona diui Pris nri Dominici eiusdem Rosarij primarij autoris Imago venerabilis flexis genib: de manu Deiparæ Virginis coronulas orarias accipientis similiter pingatur. Notumq; facimus Paulum Papam Quintum fel: rec: per suum Breue Datũ Romæ apud Sanctum Marcum die Vigesima Septembris 1608 restituisse Societati sacri Rosarij, confirmasseq; Indulgentias concessas eidem à Summis Pontificibus Rom: Prædecessoribus suis, quibus hactenus dicta Societas fruebatur, ac si lræ reuocationis earumdem non emanassent. In nomine Patris Et Filij Et Spiritus Sancti Amen. Quibuscunq; in contrariũ non obstantib: In quorũ fidem his pntib: lris Officij nri sigillo munitis, manu propria subscripsimus gratis vbiq; Et semper. Datũ Romæ in Conuentu nro S. Mariæ supra Mineruam die 6 Mensis Iunij Anno M.DC.XXIX.

Fr Nicolaus qui supra manu propria

Marcus Epus Torcell.

Reg.ta Folio 4.

Fr. Ioannes Spina Mag. Ser. Socius

Assumptionis nræ Anno Primo

De mand.to Rmi Pñis Generalis Marcus Ant.s Raymund.s Secret.s scripsit ac pinxit cum Imagine pro pretio Quindecim Iuliorum. Ceterum sciant omnes expeditionem Bullæ gratis fieri.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853233668-15
DFG

1629 6/VII

[illegible] 28 [illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853233668-15